



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ad P. Sfortiam Pallavicinum S. J. Nicander.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Læferit, aut ardens inimicis solibus æstas.  
 Fixa solo stabit, facietque nepotibus umbram,  
 Æternùm testata meos hoc carmine luctus:  
 SALVETE ÆGONIS CINERES, QUÆCUMQUE TENET  
 VOS

IN TERRIS REGIO. VOBIS HIC JUSTA QUOTANNIS,  
 QUI VICINA TENENT PASTORES PASCUA, SOLVENT.  
 VIVENTEM COLUIT, NUNC RAPTUM LUGET, ET AB-  
 SENS

ABSENTI TUMULUM POSUIT TITULUMQUE MENAL-  
 CAS.

LYCID. Sed tu desine plura: vetat se quippe querelis  
 Urgeri nostris, qui nunc, ut credere fas est,  
 Exceptos cælo vates, exceptus & illo,  
 Cantantes audit, pariterque auditur ab illis.  
 Et tua dum mulcet nos fistula, pronus abit sol,  
 Compellitque greges in septa reducere pastos.  
 Cras facere exequias, manesque vocare licebit.

A D

P. S F O R T I A M  
 P A L L A V I C I N U M S. J.

*Nicander.*

N Uper ad Albunæ silvam, quæ rupe sub altâ  
 Spumanti præceps Anio devolvitur amne,  
 Tityrus & Lycidas læti florentibus annis,  
 Ambo pastores, ambo cantare periti,  
 Carmine certavere. Locus certaminis antrum,  
 Antrum umbrosum, ingens, pumex cui plurimus arcum  
 Effi.

Efficit : at juxtà læto se gramine tellus  
 Vestit , & æternùm violis vernantibus halat,  
 Alluduntque leves avium concentibus auræ.  
 Hïc pueris locus : hïc , cùm sol altissimus umbras  
 Fecerat exiguas , steterunt cantantibus illis  
 Pastores gregis immemores , grex immemor herbæ.  
 Quin & Hamadryadum chorus affuit , affuit ipse  
 Pan Deus , ac fremitu Satyri plausere secundo.  
 Horum ego certamen , mihi quod narravit Amyntas ,  
 Carmine non vano referam , nisi vanus Amyntas.

Tu modò , si Musam non dedignaris agrestem,  
 Sfortia , stirpis honos magnæ , quo sospite sacrum  
 Tollit adhuc supra gentes caput Itala virtus,  
 Huc ades ; hïc molli mecum confidere in herbâ  
 Intereà , ac lentus poteris captare beatam ,  
 Quam Zephyris quercus ludentibus explicat , umbram,  
 Dum rabidùm latrat Canis æstifer , arvaque findit  
 Torrida , dum tibi sudantur quæ Bætis & Ister  
 Miretur , serique legant monumenta nepotes.

Ergò ubi propter aquam viridanti in gramine ripæ  
 Procubere , prior Lycidas : En Tityre nobis  
 Illa dies tandem , benè quæ decernere possit ,  
 Quis nostrùm melior cantu sit , & arte cicutæ.

TIT. Quo me cumque vocas adsum : sic adfit Apòllo.  
 Non ego detrecto certamina : non ego , forsan  
 Ut reris , canere indoctus. Scit victus Iolas ,  
 Scit Dorylas , scit Acon , scit Tybridis accola Daphnis.

LYC. Tu mentem hïc adverte , Mycon : nec sit grave  
 nostras

Audire , arbitrioque tuo componere lites.  
 MYC. Ludite quæ vultis , cantuque exolvite curas.  
 Pastori licuit semper , semperque licebit ,

Cùm

Cùm benè pavit oves, geniales dicere versus.

At si unquam licuit calamis, si versibus unquam  
Ludere, nunc pastor calamis, nunc carmine ludat,  
Quando suas sibi pascit oves, oviumque suarum  
Vellera securus sibi tondet, & ubera mulget.

TIT. Incipe tu primùm Lycida: nos deinde sequemur.

LYC. Nulla mora est: tua jussa sequor. Sed nequa sit isti,  
Vel mihi suspicio meditati carminis, omnem  
Materiem præscribe, Mycon, legemque canendi.

MYC. Et dubitatis adhuc, cùm laudes, claraque facta  
Nicandri montes resonent, vallesque profundæ?

Plaudite Nicandro, Nicandrum tollite ad astra,  
Cui Divùm imperiis magni custodia templi,  
Et gentes latè in Latias commissa potestas.

LYC. Non opis est nostræ Nicandri dicere laudes;  
Sed vatum, quibus est animus divinior, & vox.  
Nos humiles humili res dicere carmine sucti,  
Ac miscere leves per mutua jurgia lites.

MYC. Non semper leviora decet resonare cicutâ  
Pastores Latios; sed ut ipsa armenta gregesque  
Pascuntur nunc valle cavâ, nunc montibus altis,  
Sic decet interdum gracili nos promere cantu,  
Quid faciat pingues pecudes, quid pabula læta,  
Munera quæque leves vincant Amaryllidis iras;  
Concipere interdum validos sub pectore motus,  
Et canere heroas, & numina magna Deorum.

TIT. Audebo: obsequitum Nicander fronte serenâ  
Accipiet, si non carmen laudabit & artem.

LYC. Nos quoque, nos quanquam tenui conabimur ore  
Grandia: conanti veniam dabit ille, finetque  
Me laudi, meritisque suis, & grandibus ausis,  
Dum majora paro, facili proludere versu,

Illi nostra quies, illi gratissima ruris  
 Otia debentur: quin ipse hic spiritus illi  
 Debitus: ille meos calamos non passus inertes,  
 Hospitiumque dedit, collemque habitare Quirini.  
 Et quamquam minimè liceat mihi, ut antè licebat,  
 Sancta impressa notis cælestibus ora tueri,  
 Antè, Mycon, versâ in cælum radice videbis  
 Tendere Chaonias quercus, terramque subire  
 Frondibus, antè nigro manabunt lacte capellæ,  
 Quàm facer è nostro labatur pectore vultus.  
 Myc. Ergò agite, & celebrate virum: sed gentis honores  
 Mittite Nicandri propriis adjungere factis.  
 Longa retrò series, quos illa recenset, avorum.  
 Hi pacis clari studiis; hi Marte feroces  
 Addiderunt patriis ingentia nomina factis.  
 Fundarunt alii regali splendida luxu  
 Atria; sollemnes alii cælestibus aras,  
 Ipsi olim decorandi aris: ingentibus illi  
 Muneribus fovère Deas Heliconis, & omnes  
 Egregias artes. Gens auri dives & agri,  
 Ausoniasque domos claris complexa Hymenæis,  
 Et latè quondam Tusco dominata profundo,  
 Quà facer Alcidæ portus. Sed nescia virtus  
 Crescere majorum titulis. Erit hic vir, hic unus  
 Argumentum ingens, messisque uberrima laudum.  
 Vos canite, ut studiis major puerilibus infans,  
 Cùm vix à caræ depulsus lacte parentis  
 Figeret incerto dubius vestigia gressu,  
 Templâ celebrarit Superùm, imbueritque tenellum  
 Relligione animum: ut fugiens contagia vulgi  
 Hauserit augustos intra documenta penates,  
 Queis ille insistens summa ad fastigia rerum

Surgeret, ac fesso tandem succurreret orbi.  
 Inde, ubi virgineas primæ lanuginis umbræ  
 Conspersere genas, ut famâ impleverit Urbem,  
 Et gravibus curis virides addixerit annos,  
 Munera per populos obiens: ut sæpè potentum  
 Limina, & augustas jussus penetraverit aulas,  
 Quarum vestibulum ante ipsum manus excubat atra,  
 Invidia, insidiæque truces, fraudesque dolique,  
 Nec tamen attigerint illum fraudesve, dolive,  
 Aut aliæ scelerum pestes. Ut namque per altos  
 Ionii fluctus, & amaræ Doridos undam  
 Integer evadit Siculas Alpheus ad oras:  
 Sic magnam intactus mentem, fugiendaque certus,  
 Quamvis blanda forent, non immiscere petendis,  
 Ad patriæ sese vertit cælestis amores.  
 Testes, quos olim divino percitus igne  
 Corticibus teneris ætate tenerrimus ipse  
 Inscriptis versus, & quos jam firmior ætas  
 Ore alio indictos è venâ divite fudit  
 Per numeros omnes, quidvis imitante Camcenâ.

Dicite, quot vigili versaret pectore curas,  
 Cùm victum miseris tellus irata negaret  
 Gentibus, & crebræ viduarent oppida mortes,  
 Bellaque vicino fremerent infana tumultu,  
 Quà centum Eridanus fluviis, luctuque sororum  
 Dives init Libycis regnatum flatibus æquor.  
 Quid non Ionio in magno, quà nota trophæis  
 Insula Sicanium contra jacet alba Pachynum,  
 Quid non & Rheni sinuosum gessit ad amnem,  
 Dum pacem indignam Superis inhonestaque damnat  
 Fœdera, frustra hominum testatus jura Deûmque?  
 Hunc si sancta prius tribuissent numina terris,

D 2

Non

Non toties luctu impleffet Germania cælum,  
 Quòd trunca heu toties provolvens buſta, virùmque  
 Cæde calens Albiſ glaciæ reſolveret æquor,  
 Triftiaque alberent inhumatis cladibus arva.  
 Non dulci patriâ extorres inopeſque Britanni  
 Errarent terras omnes, maria omnia circùm;  
 Nec tam bella diu premerent, bella impia Cretam,  
 Quâ fatum Europæ pendet; nec inulta doleret  
 Civibus exhaustas urbes, cultoribus agros  
 Italia infelix, priſcos oblita triumphos.  
 Quin & Sarmatiam ferro quæ vaſtat & igni  
 Barbara gens, rebusque novis elata ſuperbit,  
 Cederet, ac verſis dudum in contraria fatiſ,  
 Ardentiſ patriæ buſtum, cinereſque fuorum  
 Ipſa gemens, fuſo lueret commiſſa cruore.

Dicite, uti tandem poſt hæc diſcrimina rerum,  
 Poſtque tot exhaustos pelago terrâque labores,  
 Romuleas iterùm meritorum plenus ad arces  
 Venerit. Haud mora: vix aderat, cùm vidimus ipſi  
 Murice fulgentem Tyrio ſuccedere curiſ  
 Jam ſeniſ Ægoniſ, rerumque aſſueſcere habeniſ,  
 Donec ad imperii culmen fatale trahentiſ  
 Nicandrum Superi ſacratâ in Sede locarunt.  
 Hæret adhuc animo haud oblivendiſca per ævum  
 Illa dieſ, quæ prima virum mortalibuſ ægriſ  
 Sublimem folio oſtendit, cùm pectore clauſum  
 Spiraret Numen, vultuque immobilis alto  
 Divideret ſacrâ cæleſtia munera dextrâ.

Hinc canite, ut redeant noſtriſ felicia ſilviſ  
 Sæcula, & antiqui mores: ut Copia pellat  
 Læta famem Latio, cælumque Aſtræa relinquat:  
 Ut, cogente Deâ, tandem fuorū impiuſ arma

Ponat, & agrestem gladii curventur in usum ;  
 Quæque tulere diu patrio procul ab lare durum  
 Exilium tristes inhonoratæque Camœnæ ,  
 Excutiant mœrorem animo , Phœboque canente  
 Sollemnes ducant choreas per amœna vireta ,  
 Rursus & incipiant herôum dicere laudes.  
 Sic ubi tempestas nil tale timentibus arvis  
 Incubuit , stragemque dedit , si nubila cedant ,  
 Si lenes redeant Zephyri , solemque reducant ;  
 Ridet ager , curvumque nemus se rursus in auras  
 Explicat , & fulco seges inclinata refurgit.

Nec finite indictum , ut passim decora alta Latini  
 Nominis informes inter defossa ruinas  
 Erigat : ut priscum templis instauret honorem ;  
 Vellat ut è nostris dumos , herbasque nocentes  
 Providus , & lætas inducat montibus umbras ;  
 Utque suas , Divûmque sacras inscripserit ædes :

NULLI FAS CASTUM SCELERATO INSISTERE LIMEN.

Tempus erit , quo facta dehinc majora canetis ,  
 Cùm , suadente illo , positis civilibus armis ,  
 Cessabit tandem quod Gens Feronia bellum  
 Upiliâ cum gente gerit. Tum tota repentè  
 Tempestas belli Ionium descendet in æquor :  
 Tum populum latè victorem , ac fata ferentem  
 Ultima , & Ægæi rumpentem claustra profundi ,  
 Quò meritas repetat pœnas , gentemque superbam  
 Ryp hæas hyemes ultra , Tanaimque releget ,  
 Pallidus Odrysiâ spectabit ab arce Tyrannus.  
 Sic ubi longa fames aquilam , cædisque cupido  
 Acrior ad terram speculâ dimisit ab altâ ,  
 Tum qui se novus ad solem circumspicit aureo  
 Fulgentem tergo , squamisque recentibus anguis.



Vicinâ condi properat sub rupe ; sed illum  
 Improvisa super volucris venit , & premit ungue ,  
 Nidorumque dolos , aviumque ulciscitur iras.  
 Tum demum exuerit vinclis sese inclyta tellus  
 Divini servans monumentum ac pignus amoris.  
 Tum caput attollet Silois , Tybrimque parentem  
 Jordanes , jaculisque colet crinitus Orontes.  
 Tum dulcem nobis longo pòst tempore tandem  
 Fas erit Arcadiam , lucosque revifere sacros ,  
 Taygetique nemus nigrum , fontesque Lycæi.  
 Nec minùs Arctoo properat quæ litore Pallas  
 Romanum ad Tiberim Patribus spectanda Latinis,  
 Graiorum decora , & caras invifet Athenas ,  
 Frigus & ad sacri ripam captabit Iliffi.  
 Tum mores hominum mitescent , tum pecus omne  
 Unum Pastorem , atque unum cognoscet ovile.  
 At tu, SANCTE PARENS , hominum celebrabere votis,  
 Africa quâ longè pluvium porrecta sub Austrum  
 Ambustum Oceani mediis caput inferit undis ,  
 Quaque Caledoniis Thule pulsata procellis  
 Prospicit ignotos curvo de litore fluctus.

Tale Mycon certare volentibus argumentum  
 Tradidit , hanc rerum seriem : quam deinde secuti  
 Tityrus & Lycidas , nemorum plaudente coronâ ,  
 Plurima sub sacrâ fuderunt carmina quercu ,  
 Quæ tacito secum meditari examine mentem  
 Convenit , ut meliùs referamus in ordine quicquid  
 Tityrus & Lycidas sacrâ cecinere sub umbrâ.